



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-220068-p0001-8

DFG

B.

F. g. num. 32.

1760-2.

Q. D. B. V.
DISCERNATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
IVRE MINORVM CIRCA
RETRACTVM FEVDALEM A
TVTORE NEGLECTVM,

P. 292

QVAM,
AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS
CONSENSV,
PRAESIDE,
DN. HERMANNO BECKER,
IVR. DOCT. ET INSTITVT. PROF. P. O. FACVLT. IVRID.
HOD. DECANO,
SPECTABILISSIMO;
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE OBTINENDIS
HONORIBVS,
IN ACADEMIA PATRIA,
ANNO MDCCCLX. DIE V. AVGVST.
H. L. Q. C.
DEFENDET,
CHRISTIAN VALENT. MANTZEL,
ROSTOCHIENSIS,
L. L. CAND.

ROSTOCHII,
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERİ, SEREN. DVCIS AVL, ET ACAD.
TYPOGRAPHI,



DISCOTATIA IN VENARIAE IURIDICIS
IARMINIUM CIRCA
A M V N A T M A
T E M P O R I U M
A M R I S M I C T O R Y M O P I N I S
C O N S E N T A
D I L H E R M A N N O B L C K E R
S U M M I S I N A T R O Q U A L I A R E O F T I N E N D I S
H O M O R I E R
I N A O A D C M A P A T T I A
A M I O M P C C I X D I E M A V A C T
H I L D C
P R E T I A M
C H R I S T I A N V A L H I N N E
I N D O C T O B R I
T U T O G R A V I



PRAEFAMEN.

D e juribus minorum aequa ac de retractu
non solum in omnibus compendiis &
systematibus agitur, sed sylva quoque DD. de
utraque materia dissertationes, libellos ac volu-
mina ediderunt. Indicem horum invenies
tam in BVDERI *Bibliotheca juris*, quam in
LIPPENIO, IENICHIANA. Jliada itaque post
Homerum scribere videtur, qui de una alterave
materia adhuc aliquid scribere sustinet. Sed

OITIO

A 2

evol-

evolvantur singuli DD. qui ad hoc usque tempus doctrinam de retractu ac restitutione integrum pertractarunt , num quaestionem in rubro indicatam ex professo disputatam et sufficienter explanatam reperies ? Certe , quantum mihi constat nullibi. Operaे pretium itaque duxi posteaquam ab AMPLISSIMA FACULTATE IVRIDICA licentia mihi concessa est , *Dissertationem inauguralement conscribendi*, de hac quaestione paulo fusius tractare. Dividam ego hanc dissertationem in duas sectiones , quarum altera aget de retractu feudalij ejusque natura ac indeole ; altera vero sistet jus minorum contra ejus neglectum. Faxit DEVS, ut omnia succedant feliciter.

SECTIO



SECTIO I.

DE

RETRACTV FEVDALI EIVSQUE NATVRA AC INDOLE.

§. I.

Fus *protimis* in genere cum HEIMBURGIO a) adpellandum esse censeo; jus, aliquem ab acquisitione rei excludendi, oblatis iisdem, quibus in eum alienabatur, conditionibus. Hoc vero vel tantum in jure, alienationem impediendi, vel etiam rem venditam a tertio possessore repetendi, consifit. In priori casu dicitur *jus protimis* in specie; in posteriori vero *jus retractus* b). Differunt itaque, prouti jam ex definitione patet, insigniter c): sed saepe tamen promiscue adhibentur d); et ad hunc promiscuum usum respicit vocabulum: *retractus*: in rubro hujus dissertationis obvium,

a) in disp. de *retractu gentilicio*, jure in re, §. III.

A 3

b) B.



- b) B. BOEHMER in *Introd. in Jus Digest.* Tit. de contrah. emt. §. 35.
- c) Georg Samuel MUDIHN, *de jure protimis eos, ejusque a jure retractus discrimine.* Add. B. MÜLLERI *Primae lineae usus prædicti Disjunctiōnū feudalium Cap. XX. Dīst. II.*
- d) STRYCK *de successione ab intest. Diff. VI, C. I. §. III.*

§. II.

Quum retractus ita comparatus sit, ut res alienata a tertio etiam possessore quandoquidem *revocari* queat, haud minrum esse potest, quid causae subsit, cur jus retractus saepe nominetur revocationis? a) Revocationis autem stricte sic dictæ longe alia est natura, quam retractus, siquidem illa ex jure delatae successionis competit, atque intra 30 annos exerceri potest, nullo pretio possessori refuso. b) Hae differentiae, quarum plures deduxit ZIEGLER c), satis evincunt, retractum, de quo nobis sermo est, tantum in sensu latiori nominari revocationem, sique plane non cum illa esse confundendum.

- a) Dn. MAJOHL *de revocat. feudi ex jure delatae success. et ex jure retractus.*
- b) Jac. Gabr. WOLFF in *Elem. Jur. Feud. C. XIII. §. LV.*
- c) in diff. de jure revocandi, quod agnatis solis, et jure retractandi, quod filii cum agnatis competit. Add. *prælaud.*, Möllerus d. l. *Dīst. III.*

§. III.

Neque minus retractus discernendus est a *reunione*, quae ex jure *pertinentiarum* seu *dismembrationis* exercetur. Nimirum constitutio provincialis d. d. 23. Maii 1651, quam legere, licet, apud TORNOVIVM a), partes, quae ad feudum pertinent, sed per adjudicationem in aliorum possessionem et dominium venerunt, praedii illius feudalis possessori retrahere permittit, ea tamen lege, ut is, pretium et sumptus meliorationis, qui probari possunt, restituere emtofi, teneatur, Hujus reunionis seu

7

seu redintegrationis discrimina a jure retractus sunt insignia,
quae apud laud. Dn. MÖLLERVM frustra quaeruntur, et hinc
paucis adducam. Illa 1) non habet locum nisi is, qui partes
retrahere cupit, principale praedium possideat, ad qualem
possessionem vero in genere retractus non est adstrictus. 2)
Tantum exerceri potest intuitu illarum parvium, quae tam-
quam pertinentiae principalis praedii censeri possunt b), retrac-
tus vero tam respectu partium, quam totius praedii locum
invenit, 3) reunioni nulla praescriptio potest opponi, quae
tamen omnino in materia retractus applicanda est. 4) Retra-
ctui tamquam juri suo aliquis renunciare potest, renunciatio-
nem vero ratione reunionis factam properea invalidam esse,
judico, quod juri publico et in genere ei, quod renunciantis
commodum haud unice respicit, valide renunciari nequeat c),
et ad hanc classem referenda sit redintegratio, quam in rem
sonant verba dictae Constitutionis: Alldieweil aber J. J. J. F.
G. G. als der Lehn-Herren hohes Mit-Interesse hierunter mit ver-
riet, daß Sie zu Devo unviederbringlichen Schaden nicht gestat-
ten können, daß Deren Lehen dergestalt perpetuirsch dismembrir-
ret, und verftümmt werden d). 5) retractus in feudis descendenti-
bus alienantis in Megapoli denegatur d), reunionem vero
ipfis competere, omni dubio caret, quia in Constitut. allegata
ipfi debitor et in genere cuicunque principalis praedii posse-
fori concessa est e) 6) retractus quoque domino directo qua-
tali competit f), de reunione vero id haud adserendum est,
nisi per casum aperturae principale praedium ad dominum
devolutum fuerit, quippe quo casu ipsi quoque reunio seu red-
integratio haud deneganda est, 7) juris retractus fundamen-
tum potissimum constitit in jure futurac successionis, quod in
reunione itidem secus est, 8) retractus regulariter tantum
locum habet in alienatione, venditione scilicet, et quae vicem
ejus subit; jus reunionis vero semper exerceri potest, quocun-
que casu dismembratio facta fuerit, quum semper ratio dif-
positae reunionis scilicet interesse domini adsit. Licet itaque
isthaec reunio seu redintegratio, cui cum retractu ex jure
congrui magna intercedit similitudo g), haud raro retractus
adpel-



adpelletur ; tamen toto caelo ab illo retractu, de quo mihi sermo est , distat.

a) *de feudis Mecklenburgicis P. I. pag. 652.*

b) Valde disputatur in Megapoli; num haec reunio tantum ad pertinentias internas spectet ; an quoque ad externas sepe extendet ? prout adparet ex impresso : *species facti des zwischen denen Herren Gebrüder von Zahn und dem Herrn Baron von Erlenbach beym Reichs-Cammer-Gericht schweibenden Processe in punto reunionis.* Verba in Constitutione obvia : particulier Lehn-Stücken an Bauer-Höfen, Leckern und andern dergleichen pertinentien : prius tantum adfirmare videntur. Sed, quam Jētum deceat non solum ad verba , sed quoque rationem tamquam animam legis respicere , meo quidem qualquali iudicio distinguendum est , utrum illud , quod jam pertinentiam externam constituit , olim talis fuerit , et in specie catastrium sit , nec ne ? Notorium enim est , novioribus temporibus multas pertinentias sic dictas externas fuisse factas , quae antiquitus internae fuerunt. In priori easu omnino illis sublerbo , qui , constitutionem illam applicandam esse , negant ; in posteriori autem ob rationem constitutionis illis calculum meum praebeo , qui quoque respectu externarum sic dictarum pertinentiarum reunionem admittunt , siquidem tunc itidem dismembratio isthaec , quam constitutione evitare voluit , oriretur.

c) BRÜCKNER in *diff. de renunciatione invalida.*

d) Vid. ENGELBRECHT in *diff. de singularibus feudorum mecklenburgicorum Sect. II. §. LV. p. 51.* et MAJÖHL in *alleg. comment. Cap. II. §. XX p. 36.*

e) Conf. CHIADENIVS *de jure redintegrandi clientelas exemptas* §. IX.

f) THOMASIVS in *diff. de feudo alienabili* §. XXXXII. HORN in *append. jurisprud. fental.* p. 226. MENCKE *de jure protomiseos domino directo competente.* Cui vero juri in Megapoli juxta verba §. 454. des Erb-Bergleichs renunciatum est.

g) FRITSCHIVS in *tract. de jure congrui* Cap. II. §. I. §. IV.

in Boden bei Hirschfeld abdruckt. Einzelne Abschriften sind auf den folgenden Seiten abgedruckt.

9

§. IV.

Praefixa idea retractus, ad divisionem ejus progedior. Dependet enim illud jus vel a conventione, vel testamento, vel lege a). Hoc legale, illud testamentarium, istud conventionale nominatur b). Quod lege seu testamento constitutum est, regulariter c) praebet facultatem, rem a tertio revocandi, sive in sensu strictiori *retractus* nomen meretur: conventionale vero in regula tantum praferentiam prae aliis, quibus res nondum tradita est, tribuit, et hoc respectu stricte *jus protimiseos* efficit. Sed ductu illorum, quae spha Imo praemonui, non solum jus istud legale et testamentarium, sed quoque conventionale nobis audit retractus, quamvis tres istae species insigniter different d).

a) BOEHMER d. l. §. 36.

b) Conf. Wolfgang Adam SCHÖPFIVS in *diss. de retractu conventionali et testamentario*.

c) Fieri enim quoque potest, ut speciatim in testamento sit declaratum, testatorem jus illud tantum, nondum consummata alienatione, concedere voluisse, quo causa effectus ille ratione tertii cum testamentario alias conjunctus cessaret. HEIMBURG. d. l. §. V.

d) STRYCK. d. l. C. IV, §. XLVIII.

Dixi, retractum seu jus protimiseos in specie fundatum suum quoque habere posse in conventione. Et hanc assertiōnē intuitu bonorum allodialium sese recte habere, inficias ibit nemo. Num vero isthaec quoque ratione feudorum procedat, alia est quaestio, quae neque simpliciter adfirmanda neque neganda est. Notum enim est ex jure feudali, vasallum quidem descendantibus suis non vero domino directo et agnatis per facta sua praejudicium inferre posse a). Descendentes vasalli itaque, qui per conventionem alteri jus protimiseos



feos in feudo constituit, obligari, dubio caret; sed respectu domini directi ac agnatorum distinctius procedendum erit.

a) II. F. 45. pr.

§. VI.

In feudo alienabili domino directo competere jus retractus, jam Spho II Itio ex THOMASIO et HORNIO comprobavi. Fac ergo, vasallum alteri per conventionem jus proximis eos constituisse, an hoc in collisione cum domino directo aliquid efficere potest? Certe nihil! Per privatas enim pactiones alterius jus haud immutari ac imminui posse, non solum principia sanas rationis sed quoque juris communis a) docent. Iac vero, dominum directum illo jure vel uti nolle, vel per transactiones specialissimas destitui, anne tunc, deficientibus agnatis, effectum habebit? Ego quidem id adfirmandum esse puto, quia, positis his circumstantiis, in dominum directum nullum inde incommodum redundat.

a) L. 3. pr. ff. de Transact.

§. VII.

Quod ad agnatos attinet, in collisione cum illis retractum conventionalem nullo gaudere effectu, jam ex iis fluit, quae Spho praecedenti commemoravi. Sed suboritur quaestio, anne effectu gaudeat, si inter agnatos nemo sit, qui jus retractus exercere cupiat? Nihilo minus id intuitu agnati feudum alienatis negandum esse, arbitror. Forsan objicitur, quod, quum ille, qui jus retractus exercet, easdem conditio-nes offerre debeat (§. I.), agnatus alienans nil inde incommodi habeat. Sed omnino aliquid incommodi superesse, comprobant verba constitutionis Osnabrügensis promulgatae die 18. Jul. 1743: Weil auf dem Fall der Lezbieter mit dem Kaufe nicht gesichert, sondern wegen eines hernächst anzustellenden juris retractus vel proximis eos Weiterungen zu besorgen hat, die Kaufere dadurch von dem Bieter entweder gar abgeschreckt, oder auch, was sie sonst gemeint, mit so freyen Gemüthe zu Biethen, abgehalten werden, folglich offernahmen dadurch für einen geringern Werth losgeschlagen werden.

§. VIII.



II

§. VIII.

Feuda nostra megapolitana haud simpliciter dici posse alienabili, ram certum est, quam quod certissimum a). Interea constat, quod successor omne aes alienum defuneti sive agnati, sive ascendentis in subsidium ex feudo solvere teneatur b). Quum itaque hoc respectu successor facta defuncti implere debeat, quaeritur, an agnatus in Megapoli ex conventione, qua antecessor alteri ratione feudi jus protimiseos constituit, obligetur? Ego quidem id propter ea non puto, quod singularia strictissimae sint interpretationis, sive singulare illud megapolitanum, quod successor aes alienum in subsidium ex feudo solvere teneatur, ad alia facta haud indistincte sit extendendum.

a) vid. Consult. Dn. PRAESES in diff. de feudo alienabili vel non.

b) Illustr. Dn. MANTZEL in diff. de Revocatione feudi post additionem sollemniem in concursu factam, Cap. I.

§. IX.

Species quedam juris protimiseos, feudalis, conventionalis intuitu Serenissimi Domini directi occurrit in Spho 454. des Erb-Vergleichs, ubi haec sunt verba: Des juris protimiseos in Lehn- und Allodial-Gütern wollen Wir Uns nicht weiter als bey denen Gütern, wo es in dem Lehn- oder Allodial-Briefen ausdrücklich vorbehalten und stipuliret ist, gebrauchen. Gestalt Wir Uns dessen hiemit in Absicht auf die übrigen Lehn- und Allodial-Güter für Uns und Unsre Nachkommen seyerlichst begeben. Disquiri posset, utrum hoc jus protimiseos conventionale in sensu strictiori retractus adpellandum sit, ejusque effectus secum conjunctos habeat, quum domino directo ex lege id jus comparat, et huic quidem renunciatum sit, sed tantum ceterus, quatenus non sit expresse reservatum? Tota vero disquisitio esset nullius usus practici, quia feuda in Megapoli quoque alienari nequeunt absque dominii directi consensu, sive alienatio semper prius in ipsis notitiam venit, quam traditio fuerit facta.

B 2

§. X.



§. X.

Progedior ad retractum testamentarium, qui in feudiis plane exulare videtur, siquidem juxta clara verba juris feudalis nulla in feudo defuncti valet ordinatio a). Sed hic textus tantum evincit, talem ordinationem improbari, qua feendum ad alios pervenit, quam quibus jus succedendi ex pacllo primi acquirentis competit b), et praeterea dispositionem patris vasalli ratione liberorum valere, plurimis DD. videtur esse conclamatum c). Quum itaque per jus primis eos feendum haud in extraneum per se transferatur, sed tunc demum sese exferat, si aliunde alienatio in extraneum fieri potest aut debet; inde non simpliciter testamentarius retractus exulat, sed de illo idem, quod de conventionali exposui, sub restrictionibus ibi commemoratis dicendum erit,

a) I. F. 8.

b) vid. BAUER de vasallo exheredante, REINHARD in obsf. ad Christin. Decis. Tom. VI. Obs. XX. RHETIUS in Comment. ad consuetud. feud. Lib. I. Tit. 8. PESLER in diff. de feudo fidei commissario ex jure communii et Mecklenb. §. VI. et seq.

c) STRYCK. de Cautel. Testament. Cap. VI. Membr. I. BRÜCKER de dispositione parentum vasallorum inter liberos suos quoad feuda, PFEFFINGER in Vitriar. illustr. Lib. III. Tit. 20, §. 17

§. XI.

Quod denique legalem retractum concernit, ille praeter dominum directum, intuitu cuius in Megapoli per ea, quae §. IX. adduxi, aliud obtinet, competit agnatis a). Neque hoc apud nos in dubium vocari potest. Comprobant id potius clara verba Artic. VIII. Revers. de anno 1572, quae ira sonant: Zum Achten wollen Wir hinschro keinen von der Ritter schaft, der zu Ablegung seiner Schulden, oder Wendung anderer obliegenden Noth sein alt Stamm-Lehn, so nicht auf dem äussersten Fall der Anwartsung oder Eröffnung stunde verpfänden, versetzen oder auch zum Leibgeding vermachen wolle, Unseren Consens und Willbrief

Willbrief weigern. Doch daß dasselbe den nächsten Agnaten zu-
vorn angeboten werden.

a) WOLF, d. I. §. LIV.

§. XII.

Fundamentum hujus retractus legalis ponitur in jure su-
turae successionis a). Ex quo principio prono omnino alveo
fluit, quod illi tantum hoc jus exercere queant, quibus jus suc-
cessionis feudalis competit. Successionis vero feudalis ratio-
nes ita comparatae sunt, ut nemo ad illam admittatur, nisi ipsi
ex prima investitura prospectum sit b). Quum itaque haec
regulariter non nisi pro adquirente ejusque descendantibus
habilibus sit, parer, illum qui retractu feudalii vult, debere
probare descendantiam a primo adquirente c).

a) MÖLLER, alleg. I. Cap. XX. Diff. III. nr. I. p. 453.

b) laud. MANTZEL. in disp. de concursu ascend. et collater in
succ. feud.

c) MEVIVS Conf. 90. n. 48. seq. STRVVS. in syntagm. J. F.
Cap. IX. §. VII. BÖHMER, in Conf. et Decis. T. I. P. 2.
R. 83. n. 9. MASCARD. de prob. Vol. I. Concl. 69. n. 9.
et STRYCK. de success. ab Int. Diff. III. Cap. II. §. III.


§. XIII.

In Megapoli id singulare est, quod feuda per emtionem
ab una familia in aliam translata quoad agnatos in quarto
gradu inclusive cum emtore primo constitutos et in instru-
mento emtionis aequae ac Serenissimi Domini directi consensu
nominatim expressos habeant naturam feudorum antiquorum
a). Haud difficile igitur juxta ea, quae in spho antecedenti
de fundamento retractus legalis commemoravi, est intellectu,
in feudis noviter emtis illis quoque, qui cum primo adqui-
rente in quarto gradu inclusive constituti sunt, haud dene-
gandum esse jus retractus, quamvis a primo adquirente non
descendant.

a) Vid. Articul. XXX, Revers. de anno 1621.

B 3

§. XIV.



§. XIV.

Porro ex fundamento §pho XII. paostructo deducere licet, quod, quum in feudis antiquis apud nos sola identitas nominis ac insignium ad successionem sufficiat a), respectu illorum quoque ad fundandum retractum feudalēm probatio descendantias haud desideretur b), nisi plures, jus retractus desiderantes, inter se concurrent, quippe quo casu omnia ad proximitatem redundant, siveque ad obtinendam paorogati- vam probatio isthac fiscienda est c).

a) vid. Art. XXIV. Rev. de anno 1621. Num diversitas colorum ob sit, sive in cancellaria feudalē amplissime controversum; sed jam per rem judicatam pro affirmativa decisum: quam decisionem itidem mean facio, quia iura per Reversales sancta tamquam singularia strictissimae interpretationis sunt, siveque verba in §pho XXIV. obvia: eines Rahmens, Schild und Helm: ita sumenda, ut omnimoda identitas et hac ratione quoque ratione colorum desideretur. Interea probationem, diversitatem colorum in familia tantum per calum quemdam esse ortam, admittendam esse existimo.

b) MÖLLER. d. l. p. 1457.

c) ENGELBRECHT in cit. diss. Scēt. II. §. XX. in fin. TOR- NOV. de feud. mecklenb. Cap. II. Scēt. III. §. XXXVI. MEV. Conf. 90. nr. 53. 90. et 91.

§. XV.

Transactis iis, quae ad probationem agnationis perti- nent, succedit quaestio, an ab illo, qui retractum exercere cu- pit, proximitas agnationis probanda sit? Duo potissimum ca- sus distinguendi sunt, scilicet, utrum plures agnati concur- rant, an unice cum extraneo, contra quem retractus intendi- tur, res agatur? In priori casu nemo affirmativam in dubiu- um vocavit, sed in posteriori multi DD. statuant, solam pro- bationem agnationis sufficere, neque ipsi obesse, quamvis pos- tessor probare velit, adesse proximiores a).

a) coc

a) COCCEJVS in *Hypomnem. Jur. Feud. Tit. VIII. §. 8. p. m.* 102.
RESPONSA GRYPHICA. *Conf. CXXIX. n. 9. seq.*

§. XVI.

Contra hanc sententiam insurgunt plurimi, defen-
dentes, quod indistincte, sive contra extraneum sive alium agatur,
probanda sit proximitas agnationis a), siquidem jus revo-
candi feudum secundum legitimum successionis ordinem de-
ferrur, et imitatur naturam et jus successionis, ita, ut Edictum
successorum in retraetu feudali locum inveniat b), et suc-
cessio feudal is in hoc retraetu pro norma et regula ponenda
sit c), sive jure isto quis prius non uti possit, quam omnibus
iis, quibus juxta graduationem ante ipsum jus hoc com-
petet, et medio sublatiss, et ordo successionis ipsum quoque
tangit d). Donec igitur probetur, se proximum in feudo esse
successorem, opponitur exceptio illegitimationis ad causam,
et quod nondum nata sit actio e).

a) ENGELBRECHT l. c. n. 37. 38. COTTMANN Vol. III.
Resp. XXII. nr. 120. 121. ROSENTHAL de feud. C. IX.
Concl. 82. n. 1. et 2.

b) BERLICH. P. II. *Concl. 39. n. 30. STRVV. Syntagma. J. E.*
C. XIII. aph. 22. n. 2.

c) MEVIVS *ad Jur. Lub. Lib. 3. Tit. 7. Art. 1. n. 35.*

d) SELECTA JVRID. ROSTOCH. Fase. III. Spec. VII. et VIII.

Qu. V. n. 14. 15. 16. CONS. GYPH. Resp. XI. n. 33. 34. et 35.

SCHARFF. *Conf. XLVIII. n. 20. COTTMANN d. 4. n. 25.*

30. 51. 61. 62. 63. 64.

e) SCHARFF. *Conf. XXII. n. 22. Add. BÖHMER. in diff.*

de jure futuro Cap. I. §. VIII.

§. XVII.

Epicrisis harum sententiarum instituit FACHINAEVS a),
qui illam eligit, quam Sphe XV. commemoravi. Sed ex ar-
guimento ab ipso prolatto, quod negari non possit, excluso
post



mortem alienantis proximiore , eum, qui sequitur in gradu, feudum revocare posse, ita, ut praescriptionis exceptio, quae proximiori obstabat, non obster sequenti, prono omnino alveo fluit, actionem non prius esse natam , quam proximior factus fuerit, siquidem alias per notoria juris principia eadem praescriptio remotiori obstaret b). Ergo hoc argumentum acque ac reliqua ab ipso prolatâ thesin in antecedenti spacio stabiliter haut perfringunt.

- a) de controv. Juris Lib. VI. Cap. VII. de quaest. quid juris, si proximior agnatus uti nolit jure retractus , possitne eo uti sequens in gradu?
- b) BÖHMER. in Introd. in Jus Dig. Tit. de diversis temp. praescript. §. 2.

§. XVIII.

Quum itaque a retrahente proximitas agnationis probanda sit, quaeritur , anne retrahens ista probatione superseedere queat, si in instrumento venditionis inter alienantem et possessorem extraneum , contra quem jus retractus urgetur, verba occurrant, quod ille , qui jam retrahere cupit , proximior agnatus sit ? Sola quidem nominatione agnationem non probari , quoniam nou minus propinquitatis gradus , quam ipsa etiam consanguinitas a natura ortum habet, adeoque non posse oriri ex sola nominatione, communiter adseritur a). Sed quum subscriptio obliget ad subscripta b), et scriptura privata ad initia confessionis extrajudicialis contra scribentem valeat c), ac confessus pro judicato habeatur d), neque minus possessoris jus ex illo instrumento emtionis venditionis deducendum , sive etiam ejusdem tenor in caeteris emtori obstare debeat, ita, ut , si deinde improbetur, probationem tamen contra illum faciat e); non possum , quin statuam, retrahentem in tali casu nulla ulteriori probatione onerandum esse, sicut quoque adserio isthac in contrarium adducta, reaccuratus considerara, in exemplo plane impertinens est, quoniam hic tantum , sermo est de quaestione : anne probationem in praejudicium nominantis efficiat ?

a) L. 5.



17

- a) L. §. C. de Tſſt. GOEDD. in Confil. Marpurg. Vol. III. Conf. 32.
nr. 68. MENOCHIVS de A. I. Q. Q. 2. C. 89. nr. 77.
- b) MEVIVS P. VI. Dec. 45. JOH. AMSEL. in disp. de ſubſcriptione
nominis. Cap. IV. nr. 13.
- c) BOEHMER. d. l. Tit. de fide inſtrum. §. 10.
- d) IDEM d. l. Tit. de confeſſis §. 8. et 10.
- e) MEV. P. VII. Dec. 346.

§. XIX.

In Megapoli ante omnia a retrahente probandum eſſe, ſe proximum in feudo eſſe ſuccesſorem, eo minus dubium eſſe videtur, quo clarius id expreſſum legitur in verbis finalibus Art. VIII. Rev. de anno 1572, quem ſpro XI. exſcripſimus. Sed nihil feciſ, re accuratiſ examinata, adſerendum eſt, in Megapoli agnato eriam remotoſi juſ retractuſ haud denegandum eſſe, neque exceptionem actioniſ nondum natae opponi poſſe, ſiquidem ſubsequentiibus temporibus, nimirum anno 1621. Art. XXIX. Revers. ſancitum eſt: Daſ die Lehen, ſo je- mand über 30 und mehr Jahren geruhiglich beſeffen, in keine Wege hinführō revociret werden föllen. Negandum quidem non eſt, hunc articulūm proprie ad actionem revocatoriam ſtricte ſic dictam respicere: interim tamen id quoque inde certum eſt, quod in Megapoli poſt triginta annorum ſpatiuſ omni caſu contra retrahentem tutus ſit, licet hic ſeſe exceptione, quod actio non priuſ nata fuerit, ſicque praefcriptio haud incipere potuerit, tueri vellet. Poſito vero hoc, corruit jam in Megapoli contra agnatum remotoſi, ſi proximior non concurrit, exceptio illegitimationis ad cauſam ſeu actioniſ nondum natae, quum alias facile caſu evenire poſſet, ut, revocationiſ jure per continuatam conſentientiaſ ſobolem per triginta anno- annorum ſpatiuſ ſuſpenſo, reliqui agnati nunquam illo frui poſſent, et ſic res de familiā exiret a). Nullibi quidem hanc meam adſertione quoad Megapolini ita deductam invenio; ſed, quum non tam auſtoritaſ Doctorum, quam ipsa argumenta

C

ſenten-



sententiae pondus conciliare debeant, aliorum iudicio rem habens committo. Praeterea Art. VIII. Rev. de anno 1572, re penitus considerata, huc plane non spectat, quia ibi non de casu actualis alienationis, sed de talibus casibus, per quos feudum nondum de familia exit, et in quibus proximorum agnatorum interesse potissimum tantum versatur, sermo est,

a) *Conf. ZIEGLER. in cit. diff. Cap. VII, §. V.*

§. XX.

Ad fundandum jus retractus referri solet probatio hujus tenoris: *Dass die quaestzionten Güter auf keinerley Weise außer der Familie gekommen, und der Retrahent, nebst dessen Vorfahren die Lehne von Fällen zu Fällen gebührend verfolget a).* Rationem hujus probationis in eo ponere solent, quod, si parens renovationem investiturae non petierit, feudum ad filios non devolvatur b), sed jus feudi cum jure retractus ob commissam feloniam penitus amittatur c).

a) *SCHARFF Conf. 48. nr. 14.*

b) *CARPZOV. P. III, Conf. 27. Def. II.*

c) *STRVV. Synt. Jur. Feud. Cap. 10. aph. 8. nr. 3.*

§. XXI.

Quod ad membrum primum probandum attinet, certum quidem est, per concursum aliasve modos feuda familia exire a). Sed quaeritur, num retrahenti isthaec probatio injungi queat? Pro adformativa militat regula illa, ut id sit probandum, quod ad fundamentum intentionis actoris pertinet b); pro negativa vero meoquidem iudicio fortiores sunt rationes. Nam a) involuit probationem negativae, quae eo censemur regulariter probata, quod contrarium non demonstretur c), et, si praecedentem adsercionem quoique meam non facio, mutatione tamen est facti, et de jure non praesumitur d), praesumtio vero juris liberat ab onere probandi e); hinc, quam formu-

formula: Dass die quaestiorum Güter auf keinerley Weise außer
der Familie gekommen: facti seu mutationis rationem habeant,
istius quoque probatio illi, qui retrahere intendit, haud in-
jungi potest.

- a) Des Landes grundgesetzlicher Erb-Vergleich §. 457.
- b) BOEHMER. d. l. Tit. de probat. S. 4.
- c) HERCVL. in tr. de prob. negatio.
- d) MEV. P. II. Dec. CCXLIII. nr. I. ibique alleg. LL.
- e) BOEHMER. d. l. §. 13.

§. XXII.

Progradior ad alterum membrum probandum, quod
duas subquaestiones habet, scilicet, num retrahens, renovatio-
nem investiturae ab ipso factam, probare debeat, et 2) an ra-
tione praedecessorum talem probationem suscipere teneatur?
Quoad primam in locis, ubi simultanea investitura juris Saxo-
nici obtinet, renovatio investiturae quidem peti debet, licet
aliquis nondum ad possessionem venerit a). Sed haec in Me-
gapoli non est in usu b), et jus commune feudale renovationem
investiturae tantum in casu feudi jam *devoluti* desiderat c), ita,
ut ab illo, qui auctu nondum succedit vel possidet, haud peten-
da sit d). En itaque rationem, cur prius ratione renovatio-
nis a retrahente factae nullo modo iustificandum sit. Alteram
vero subquaestitionem quod concernit, illa magis eo respectu
implicata esse videtur, ut feloniam antecessorum descendantibus
noceat, sive retrahere volenti incumbat probare, ipsius
descendentes semper debite renovasse investituram, et hoc
modo nullam commississe feloniam. Sed α) in Megapoli se-
cundum *Ordinationem nostram politican* Tit. von mutwilligen
Befehden §. So ordnen ejusque verba seinen Kindern oder
nächsten Agnaten adhuc disputatur, utrum descendantibus fe-
lonia antecessorum ad effectum privationis noceat, et β) po-
sito, quod illa dispositio legalis ad casum fractae paucis publi-
cae restringenda sit, quo casu tamen quoque jure communi



descendentes factum antecessorum luere debent, constat; quod omnis praesumtio de jure sit doli et delicti exclusiva e), praesumtio vero juris a probatione relevet, per consequens etiam retrahere volens nullo modo probatione, ipsius antecessores nullam feloniam commisssisse, sed semper renovationem petuisse, onerandus est, quibus γ) adhuc illud accedit, ut contra omnem praesumptionem impingat, dominum directum semper tacuisse, si aliquid neglectum esset. Praeterea qua futurum ratione feloniae, ex omissa renovatione investiturae resultantis, dispositum legitur *in transactione megapolitana* §. 447, quod ifthaec haud amplius poenam privationis secum conjunctionam habere debeat, quae constitutio hodie in genere juris in Germania censetur f). Interea thesis illa salva manet, retrahere volenti probationem, cuius in §pho XX. mentionem injeci, haud esse injungendam.

- a) *De BALTHASAR in diff. de genuina indole investiturae juris Germanici simultaneae ejusque cum Longobardica collatione.*
- b) *MÖLLER in us. præt. Dif. feud. p. 290. COTTMANN Vol. I. Conf. XXVI. nr. 228. ENGELBRECHT d. l. Sez. II. §. XXII. TORNOV. alleg. l. P. I, Sez. III. Cap. II. §. VII, p. m. 260.*
- c) *MÖLLER. d. l. p. 288. SIEGEL in princip. jur. feud. Cap. XIV. §. XVIII. De SENCKENBERG in prim. lin. jur. feud. P. II. Cap. X. §. 254.*
- d) *HORNII jurisprud. feud. Cap. XVII. §. IV.*
- e) *LVDOVICI de praesumptione bonitatis.*
- f) *VOCKEL, in diff. de omissione renovationis investiturae non dolose facta, bodie et præcipue in Saxonia ad amissionem feudi non sufficiente, Gottf. Ludw. MENCK in diff. de poena privationis feudi in vasallum dolo vel negligentia renovationem investiturae non petentem legibus statuta,*

§. XXIII.

§. XXIII.

Ea, quae de jure retractus, agnatis juxta leges feudales competentes, in medium produxi, multi quoque adplicant ad descendentes alienantibus, ipsisque idem jus adscribunt a). Alii tamen id negant b), et idem diffensus quoque quoad Megapolim inter DD. reperitur. Negantes jam supra in lit. d. ad §. III. commenmoravi, et adffirmantes quoque non deficiunt c). Ego quidem jure communis negantibus calculum praebeo, siquidem textus *II. Feud. 26. §. Titius* ejusque genuina analysis, quam exhibet *FACHINAEVUS* d), meo quidem judicio id satis clare docet. Et in *Megapoli* id eo minus dubium habere potest, quum in Art. VIII. Revers. de anno 1621. expresis verbis tantum agnatorum mentio facta. Sub voce agnatorum vero jure communis descendentes non comprehenduntur e), et idem quoque comprobatur *Ordinatio nostra megapolitana*. cuius verba §pho praecedenti adduximus, in quibus agnatorum et descendientium sigillatim expressa fit mentio, quod secus fuisse, si descendentes agnatorum nomine jam comprehendenderentur.

- a) MENCK, in *diff. de retractu filiorum gentilitio in feudis*. ZIEGLER in *diff. supra alleg.*
- b) Conf. REINKING in *dissert. de jure retractus Quaest. II.* nr. 368.
- c) TORNOW *d. l. pag. 78.* MÖLLER. cit. *l. Cap. XX. Dist. III.* p. 454.
- d) in *alleg. Tract. Lib. VII. Cap. IX, et XIX.*
- e) *II. F. 31. 45.*

S E C T I O . II.

D E

R E S T I T U T I O N E M I N O R V M C O N T R A
R E T R A C T U M A T V T O R I B U S
N E G L E C T U M .

§. XXIV.

Explanatis iis, quae ad naturam ac indolem retractus feudalis pertinent, jam de ipso jure minorum agendum erit, et haec Sectio commode dispescitur in quatuor Capita, quorum *primum* exhibet Constitutionem Friderici I. de jure protimiseos; *secundum* docbit iura minorum, si tutoribus ipsorum nulla denunciatio fuerit facta; *tertium* sistet iura, si tutores retractum, praevia ipsis facta denunciatione, neglexerint; *quartum* denique continebit disquisitionem, quid juris sit, si non solum tutoribus denunciatio facta, sed quoque a tutoribus circa negligetum retractus magistratus consensus imperatus fuerit.

C A P V T . I.

S I S T E N S

C O N S T I T U T I O N E M F R I D E R I C I D E J V R E
P R O T I M I S E O S .

§. XXV.

Quem ad modum semper praecognoscenda sunt illa, sine quibus reliqua haud dijudicari possunt, seu a quorum decisione subsequentia dependent; ita quoque in praesenti praejudicialis quaestio de Constitutione hac Fridericana, quae V. F. 1. 3. exstat, ante omnium discutienda erit. Verba, quae ad scopum meum spectant, sunt haec: *Verum si intra statutum terminum justum pretium non solverit, de caetero non habebit jus protimiseos, nisi quis eorum*

eorum erat in captivitate, vel deportatus, vel absens rei publicae causa, aut ex propria sua causa, vel minor viginti quinque annis, et licet illi fuerint absentes ex justa causa, tamen Tutores eorum vel Curatores vel Procuratores vel defensores intra quatuor menses debent venire, et solvere iustum pretium cum legitimis usuris et expensis necessariis, et accipere jus protimiseos, et extraneos emtores omni modo expellere. Et si neglexerint hoc factum, sarcient de propriis suis, quidquid incommodi illi habuerint - - - Transcurso autem decennio sine denunciatione, nullo de caetero moveatur controversia illis, qui possident ex aliquo contractu, vel ex donatione, vel ex testamento, ab illis, qui habent jus protimiseos, vel etiam Fisco.

§. XXVI.

Primo quidem intuitu haec constitutio ita explicanda esse videtur, ut minorum jus semper salvum maneat, et verba post particularam *tamen* subsequentia unice ad absentes trahenda sint, praecipue, quum antecedentia ita sonent: *et licet illi fuerint absentes ex justa causa.* - - - Sed, re ad curatius considerata, illa restrictio hand fundata censenda, quia nominantur *Tutores eorum vel Curatores vel Defensores*: quae verba nullo modo restrictionem ad absentes admittunt, sed potius fatis aperte docent, subsequentia ad omnes illos, qui in antecedentibus nominantur, per consequens eriam minores, pertinere. Simil iraque haec constitutio pro fundamento ponitur, statim patescit, quid de jure minorum circa retrahendum feudalem ducendum sit. Sed queritur, num valeat?

§. XXVII.

Circa hanc constitutionem, quae neque diem neque consulem haber, sive a multis proorsus in dubium vocatur a), non attento hoc dubio, DD. potissimum in duas abeunt sententias; quorum altera pars legalem auctoritatem hujus constitutionis negat, altera vero adfirmat. Adfirmantes, inter quos eminent STRVVIVS b), STRYCKIUS c), FINCKELTHAVSIUS d), RITTERSHVSIVS e), de SENCKENBERG f).

LEYSER



LEYSER g), CHRIST. GODOFRED. HOFFMANNIUS h), COTHMANN i), MATHIAS de ATFLICTIS k), RICHTER l), contendunt, quod haec constitutio vi legis et non receptionis omnes in Imperio Romano viventes obliget. Rationes in eo ponunt, quod 1) ab Imperatore et 2) in campis Roncaliae, praesentibus tam Italicis, quam Germanicis Vafallis generaliter fuerit lata.

- a) *Vid. STRYCK, in us. Modern. Tit. de contrab. emt. §. XVI.*
pag. 285.
- b) *in Syntagma. J. Feud. Cap. I. §. VII.*
- c) *in Exam. J. Feud. Cap. I. Qu. 12, et 13.*
- d) *Controv. Feud. Disp. I. Qu. 6.*
- e) *de Feud. Lib. I. C. I. q. 8.*
- f) *in primis lineis jur. feud.*
- g) *Specim. 195. in Coroll.*
- h) *in Specinine conjecturarum de origine et natura LL. germanicae
rum privatarum antiquarum p. 98.*
- i) *Vol IV. Rep. XLII. nr. 8. 15. 16.*
- k) *in Interpret. dictas Confit. Frideric. §. I. nr. 1.*
- l) *P. VI. C. 24. nr. 75.*

S. XXVIII.

Quantamque vero speciem rationes adfirmantium habeant, tamen solido destituuntur fundamento. Verum quidem est, et nemo negaverit, constitutionem illam, si Friderico adscribi potest, esse latam ab Imperatore. An vero omnia jura ab Imperatoribus sancta vim legis in Germania habent? Notum est, unum hominem gerere posse plures personas a), et hoc quoque ad praesentem quaestionem applicandum est. Fridericus non solum Imperator Germaniae, sed insimul quoque Princeps Italicae fuit, et jura Italicae a juribus Germaniae toto coelo distare, inter omnes, qui primis tantum labiis principia historiae et juris publici degustarunt, quam luctuissime constat. Jura itaque illa, quae Imperatores quae Principes Italicae tulerunt, in Germania juxta notoria principia hominis

hominis plures sustinentis personas nullum plane valorem habent, sicut hunc casum in terminis, ut ajunt, explanavit HERTIVS b). Ergo argumentum primum, quo adfirmantes nituntur, nullius omnino ponderis est, sed majorem speciem secum coniunctum haber alterum momentum, quod constitutio fuerit publicata in campis Roncaliae, ibique propter famosam expeditionem Romanam conventus non solum Italicorum sed quoque Germanicorum fuerit c). An vero ibi convenerunt Germaniae vasalli ad condendas leges, quae jam istis temporibus, prout ex Recessibus Imperii circa haec tempora promulgatis constat, procerum Imperii consensu condendas erant? Potius Otto Frisingensis, ad quem provocant, narrat, solum Germaniae vasallos ibi convenisse, ut ante peragendam expeditionem Romanam lustrarentur. An porro omnes Imperii proceres, quorum consensus ad legislationem desiderabatur, ibi convenerunt? Locus ille Ottonis Frisingensis quam luculentissime contrarium docet, siquidem ibidem potissimum minorum Vasallorum mentio injicitur. An denique lustrum, de quo Otto Frisingensis loquitur, et legislatio pro iisdem haberi possunt? Id certe efficit apertum argumentum a diversis ad diversa. Adfirmantium sententiae igitur calculum meum praebere nequeo.

a) in diff. de uno homine plures sustinente personas

b) in cit. diff. SeC. III. §. II.

c) vid. Otto Frisingensi Cap. XII. p. 452.

S. XXIX.

A parte negantium stant TITIVS a), GEORG LUDOVICVS BÖHMERVS b), JOH. GOTTLIEB SIEGEL c), C. S. SCHVRTZ-FLEISCH d), CONRINGIVS e), HENRICVS a BUNAV f), GLAFEY g), JOH. SALOM. BRVNNQVELL h), et qui instar omnium adpellari meretur HEILLIGER i), adferentes et comprehendentes, proceres Imperii non tam legum ferendarum comitiorumque habendorum, quam comitatus causa, praesentes

D

tum



rum temporis in Italia fuisse, et utrumque regnum sua sibi
jura seorsim observasse, sicque imperatorias illas constitutio-
nes Germanos non tenere.

- a) im teutschen Lehns-Rechte Cap. III. §. 16.
- b) in comment. de aetate vetustae collationis consuetudinum feudalium,
quam vulgo libros feudorum vocant §. IV. VI. VIII.
- c) in Element. Jur. Feud. prolegom. §. XII. p. 9.
- d) in diff. de Conrado Salico §. 10. in append. Schilteri instit. jur.
feudal, ex editione Gebaueri p. 306.
- e) in diff. de Originibus Jur. Germ. Cap. XIX. p. 102.
- f) Leben und Thaten Friederichs I. p. 94. in fine.
- g) in historia Germaniae polemica Cap. XVI. Thes. 3. p. 274.
- h) in historia juris Romano Germanici P. IV. Cap. 4. §. 12.
- i) in Tract. de campis Roncaliae, habitisque ibi curiis sollempnibus
§. 21. p. 85. et seqq.

§. XXX.

Haec sententia negativa, cui ego adstipulor, mihi propte-
rea quoque indubitata videtur, quod scriptores historici, quan-
do legislationis, ab Imperatoribus in campus Roncaliae factae,
mentionem injiciunt, regulariter haec narrant.

*Archiepiscopus una cum Consulibus Mediolanensis omnesque alii
præsentes LOMBARDIAE episcopi, Comites, Marchiones, Duces,
caeterique ITALIAE principes, ac omnium LOMBARDIAE civitatum
ibi adstantes.*

Qui talia legere cupit, adeat GLAFÉY, HEILLIGER et
GEORG LVD. BÖHMERVM locis ad praecedentem spum allegatis.
Isthæc vero verba satis comprobant, Germaniae
vassallos ad actum, quo Imperatores in campus Roncaliae leges
dederunt, haud convenisse.

§. XXXI.


Haec deducta tantum eo collineant, ut constitutio
isthaec inter leges Germaniae originarias referri nequeat.
Quum

Quum tamen in jure feudali Longobardico obvia, ejusque receptio indubitata sit; exsurgit quaestio, anne constitutio illa ex receptione apud Germanos vi obligatoria gaudeat? Capitula juris feudalium dividuntur in ordinaria, et extraordinaria. Haec quum glossis haud sint illustrata, et, quicquid non cantat glossa, quoque non cantet curia a), vim legis non habent b). Quemadmodum itaque extraordinaria, quae ab incertis auctoribus collecta, ab Ardigone et Alvarotto primitus produceta, a Cujaciō vero postea restituta et corpori juris adjecta sunt, a H. F. 73. incipiunt c); patescit, neque hac ratione constitutioni Fridericianae fundamentū auctoritatis in Germania conciliari posse d).

- a) *Vid. GOTTFR. LVD. MENCK in diff. de novellarum glossata-
rum et non glossatarum auctoritate.*
- b) *RHETIVS in Comment. ad jus feud. proem. nr. 75. MAY-
RITII posit. jur. feud. Decif. I posit. IO.*
- c) *MÖLLER in us. pract. Diff. feud. Cap. I. Diff. III. p. 12.*
- d) *Vid. REINKING in tract. de jure retractus Quaest. I. ur. 24.
ibique alleg. DD.*

S. XXXII.

Adserioni in praecedenti Spfo stabilitae forsitan obmotetur, quod capitulis juris feudalium extraordinariis valor adscribi soleat, si non contradicant ordinariis a), quae exceptio in exemplo adplicanda esse videtur, quum materia illa, de qua quaeritur, in capitulis ordinariis haud decisa reperitur. Verum enim vero cum TITIO b) nego ac pernego, capitula juris feudalium extraordinaria ullo respectu valorem legis habere, nisi specialis receptio, ad cuius probationem quoque Leyserus c) respicit, probari queat. Fundamenta enim obligatio-
nis legalis consistunt per notoria vel in promulgatione vel receptione. Prins ex capite promulgationis jam Spfo XXVIII. et sequentibus rejectum est; posterius vero itidem corruit, si quidem per vulgata id tantum receptum, quod glossa cantar, quae intuitu extraordiniorum deficit. Nullum igitur funda-
mentum



mentum obligationis respectu extraordinariorum remanet,
nisi specialis receptio localiter doceri queat.

- a) LVDOVICI in Colleg. J. Feud. Disp. II. Tb. XX. STRV, in Syntagma, J. Feud. Cap. I. Aph. VII. nr. 10.
- b) im Lehn-Rechte Cap. III. §. 19.
- c) in Med. ad ff. Spec. CXCV. Med. I. et II., ubi notantur scribit: nescio, qui factum sit, ut usus fori in illis provinciis, quae constitutionem Friderici 5. F. 13. receperunt.

§. XXXIII.

Rejecta constitutione Fridericiana, nullus textus in jure feudali reperitur, quo jus minorum qua retractum, a tutoribus ipsorum neglectum, definitum sit. Hinc, quum, deficiente jure feudali patro ac Longobardico, in subsidium quoque vocari possit jus civile romanum a), ad haec ejusque analogiam recurrentur erit, secundum quod fundamentum quæstiones in subsequentibus Capitibus ventilandas dijudicabo.

- a) WOLFF d. l. Cap. II. §. XXV.

CAPVT II.

DE

JVRIBVS MINORVM CIRCA RETRACTVM
FEVDALEM A TVTORIBVS NEGLECTVM,
SI HIS NVLLA DENVNCIATIO
FACTA FVERIT.

§. XXXIV.

Si Tutoribus nulla denunciatio fuit facta, dubio caret, jus minorum salvum ac inconvulsum manere. Sed queritur tantum, quam diu post adeptam majorennitatem jus suum adhuc exequi queant? Erit distingendum, utrum minor post imple-

impletam majorennitatem alienationem sciverit nec ne? id quod jam pluribus explanabo.

§. XXXV.

Annum et diem praescriptioni juris retractus constituit jus feudale Longobardicum a). Sed praescriptionis tempus ratione initii utile est, qua de causa in omnibus textibus occurrunt verba: *ex quo sciverit*. Sed circa questionem, quam scientia hic desideratur, insigniter dissentunt Doctores. Sunt, qui, generalem sufficere, arbitrantur b). Alii vero perfectam et adcuratam requirunt notitiam, ita, ut totum negotium cum omnibus suis qualitatibus et circumstantiis penitus cognitum fuerit c). Ego quidem posteriori sententiae propterea subscribo, quod retrahens *regulariter* omnes conditiones factae alienationis implere debeat (§. I.), sive se haud prius determinare queat, quam omnes circumstantias cognoverit.

a) *II. F. 26. §. 13.*

b) BERGER in *Delineat. Jur. Feud. Cap. VIII.* posit. 101. not. D.

c) De LEYSER Specim. CXCV. Med. III. ibique alleg. STRYCK.

et HORN. REINKING in *Tr. de jure retractus Quaest. VII.*

nr. 100. et seq. TIRAQVELL de *retractu* §. I. Gloss. 2.

nr. 34.

§. XXXVI.

Ponamus itaque, Tutores certam specialem et plenam scientiam alienationis absque facta denunciatione habuisse, nihil minus vero exercitium juris retractus neglexisse: an tunc minor, adepta majorennitate, restitutionem contra lapsum praescriptionis petere deber? Minime. Est enim extra dubitationis aleam positum, quod, quoties minores *ipso jure* tuti sunt, nulla opus sit laesiorum probatione, nec restitutione in integrum a). Hinc, quam contra minores *ipso jure* non currat praescriptio, nisi jam inchoata fuerit b), ita, ut contra illos dormiat, et post majorem demum aetatem currere incipiat c);

D 3

pater,



peret, annum illum minoribus non currere d), sed demum incipere a die impletae majorenitatis e).

a) BÖHMER in *Introd. in Jus Digest.* Tit. de Minoribus XXV. annis §. 5.

b) L. 5. C. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.

c) BÖHMER in *diff. de cursu praescriptionis contra minores* fpenso. PHILIPPI in *disp. de praescriptione quiescente seu dormiente.*

d) BERLICH P. II. *Concl. II.* nr. 29. BÖHMER in *Consil. et Decis. Vol. I. P. II Consil. I. 31. nr. 10. seqq.*

e) RICHTER in *Decis. P. II. Decis. CXXVI. nr. 167.*

§. XXXVII.

Quid si pupillus, adepta majorenitate, scientiam factae alienationis non habuerit, intra quodnam tempus tunc jus ipsi competens exercere potest? II. F. IX. §. I. occurunt verba; *Praescriptione autem triginta annorum submoveatur, tam sciens quam ignorans.* Ex quibus verbis non immerito concluditur, quod in casu deficientis scientiae triginta annorum spatium ad praescriptionem juris retractus desideretur a). Ergo minori quoque hoc tempus, adepta majorenitate, in casu deficientis scientiae patere debet.

a) in *Glossa ad II. F. 26. §. Titius* in genere praescriptio 30 annorum reperitur, si in extraneum facta sit alienatio. Sed vid. MENCKE in *diff. de agnitorum jure protimisivi in feudo, quod ad annum restringitur.*

§. XXXVIII.

Suboritur quaestio, an adserio, quam in antecedenti spho stabilivi, in Megapoli procedat. Articulus XXIX. Reversalium de anno 1621. ita sonat: *Dass die Lehen, so jemand über 30 und mehr Jahren gerühiglich besessen, in keine Wege hinführte revociret werden sollen.* Ego quidem ex actis comitalibus, quae exhibet GERDES a), non ignoro, haec verba potissimum eo

eo tendere, ut thesis juris communis, quod praescriptio adversus agnatos, qui, vivo vasallo, agere non potuerunt b), in Megapoli firma ac inconvulsa reddatur, et ad hunc casum verba: in fine Wege: respicere. Neque me fugit principium hermeuticum, quod leges generales non semper mutent illa, quae antea jure speciali disposita, sed inde exceptionem capere c), et in exemplo ius minorum ius speciale efficere, sicutque verba illa Reversalium non ita intelligenda esse, ut ea, quae in specie in favorem minorum in iure sancta sunt, per illum spatum sublata censenda sint. Sed pro contraria sententia militat generalis expressio, in fine Wege, et ratio publica, ut dominia rerum mox certa siant. Hisce rationibus in utramque partem perpenfis, haud difficile est, statuere, quaenam sententia alteri praeferenda sit.

- a) in den Sammlungen vom Mecklenburgischen Sachen,
9tes Stück, nr. 4.
- b) LEYSER in Med. ad ff. Spec. 457. M. 4.
- c) BÖHMER. in Introd. in Jus Dig. Tit. de justitia et iure §. 6.
nr. 4. ibique alleg. LL. Add. LUDOVICI in diss. an et quatenus genus derogat species?

CAPUT III.

JURIBVS MINORVM CIRCA RETRACTVM A TUTORIBVS, PRAEVIA IPSIS FACTA DENUNCIATIONE, NEGLECTVM.

§. XXXIX.

Denunciatio illa, cuius in rubro hujus capituli mentionem injeci, requirit, ut illis, quibus ius retractus competit, non solum facta alienatio notificetur, sed ipsis quoque vidimatum exemplum originalis contractus tradatur cum petito, ut intra legitimum tempus resolutio de exercendo retractu praebetur. Quum mihi instrumentum talis factae denunciationis in manus



manus venit, non alienum erit, verba hic concernentia adferre: Vermeidet, wie dem A sonder Zweifel bereits hekannt seyn würde, wie der requirens B sich gemüthiget gefunden, das Gut C. an den D mit Hochfürstlichen Consens erblich zu verkauffen, und es eben keiner specialen notification bedürfe, sondern der A, wenn er als nächster Vetter sich etwa eines Näher-Kaufs an dem Gute bedienen wolle, sich desfalls melden könne und solle; So hätte man dennoch von Seiten des B nicht unterlassen wollen, dem A zum Überfluss anzutragen, ob er Belieben trüge, in rechtsgesetzter Zeit, mit eben denen conditionen, als mehrgedachtes Gut an dem D verkauft worden, dessen an dasselbe zu gebrauchen. Wie denn umb hie von völige Information zu erlangen, dieselbe ihm hiemit den errichteten Kauf-Contract nebst den Hochfürstlichen Consens in vidimirter Copey wolten communicirer, und dera resolution hie nechst darüber erwartet haben, gedachte vidimirte Copey ihm zugleich eingehändigt.

§. XL.

Non quidem ad substantiam hujus denunciationis requiritur, sed, ne probatio ejus in futurum defit, consilii est, ut vel per duos Notarios, vel unum Tabellionem, adhibitis duobus testibus fiat, quia unus Tabellio absque testibus ad probationem non sufficit a).

a) MEV. P. II. Decis. 55. WERNHER Sel. Obj. Foren. Vol. VI.
P. IX. Obj. 57.

§. XLI.

Intra quodnam tempus vero retrahens sese tunc declarare tenetur? In Constitutione Fridericiana spatium triginta dierum sanctum reperitur. Sed quam valorem hujus constitutionis in Cap. I. hujus sectionis rejecerim, inde nulla decisio formari potest. In aliis vero Textibus juris feudalis Longobardici nullum tempus constitutum est, & quod ad ius provinciale attrinet, quidem in Art. VIII. Reversalium de anno 1572. istius denunciationis, proximis agnatis facienda, sit mentio, sed partim

partim ille Articulus, juxta ea, quae in fine §. XIX. deducta sunt, proprie hunc casum non concernit, partim aequa minus tempus praefixum legitur. Est itaque recurrendum ad jus commune, quod itidem ab emphyteuta domino emphyteutario ob jus retractus ipsi competens in casu suscipienda alienationis faciendam denunciationem injungit, et tempus *duorum mensium* declarationi praefigit a). Nullus igitur dubito, adserere, quod retrahentes, quibus legitima denunciatio facta est, *intra duos menses* se declarare debeant, utrum emere velint, nec ne?

- a) BÖHMER in *Introd. in Jus Dig. Tit. si ager vectigalis id est emphyteutic.* pet. §. II. nr. I.

§. XLII.

Elapsis duobus mensibus post peractam denunciationem jus retractus extinguitur. Licet enim alias silentium haud simpliciter consensum inferat a); id tamen exceptionem patitur, si quis per LL. intra certum tempus loqui debuit. Et haec quoque ira in praxi observantur, ut, declaratione agnatorum non subsequita, libertas contrahendi cum alio competit; et agnati pro consentientibus habeantur, ac postea non audiantur cum jure suo protimiscos aut revocandi: id quod non solum de Pomerania et Marchia b), sed quoque Megapoli c) constat.

- a) BROCKS *de silentio consensum non inferente.* L. B. de CRAMER Spec. 12 usq; philosop. Wolff, in *jure de tacente dissentiente.*
 b) MEVIVS Cons. 38. nr. 77. seqq. BRVNNEMANN in Proc. Conc. Cred. Cap. V. §. XXII.
 c) ENGELBRECHT in cit. diff. Sect. II. §. XVIII.

§. XLIII.

Haec omnia sese ita habere, si agnatis majoribus denunciatio facta fuerit, negaverit nemo. Sed quid si sint minores, idque tutoribus ipsorum denunciaturum fuerit, hi vero id neglexerint? Constitutio Fridericiana ejusque genuina analysis,

E

quam



quam Cap. I. Sect. II. exhibui, rem ita definit, ut tunc contra tutorem ad interesse agendum sit. Qui ergo hanc constitutionem tamquam validam judicat, minores cum jure retractus postea non audiet, ac secundum haec principia quoque, ne quid dissimulem, die 15 Nov. 1754 in curia nostra feudali contra die verwittwete Jäger-Meisterin von Bülow judicatum esse videtur. Verba illius judicati haec sunt: So viel hiernächst die schon erwähnte Meldung der verwittweten Bülow für und im Nahmen ihrer dreyen Söhne anbelanget, so ist folcher Anspruch samt allen den übrigen angebrachten Verwährungen für rechtsbeständig nicht, sondern dagegen für unstatthaft und nichtig zu erklärein; wie Er denn sowohl in Erwägung der in Termino Reproduktionis Proclamatum von dem Imperstantischen Theilen zu Protocoll angebrachten Rechts-Gründe, als auch nach den sonstigen Actenmaßig gen Zusammenhang der Sachen, mitin in Betracht der Umstände: Dass die im Jahr 1722 beschehene Veräußerung des Guts dringender Schulden halber vorgenommen, dazu auch dasselbe den nächsten Agnaten, und selbst der jetzigen Supplicantin tutorio nomine ihrer Söhne zum Ankauf angeboten, und dadurch die reversalmäßige Obliegenheit an Seiten der Verkäufer erfülltet, hingegen von Seiten der Agnatorum die Ankaufung decliniret worden ist, für schlechterdings unstatthaft und nichtig hiemit erklähret wird, und si mehr gedachte drey Gebrüder von Bülow mit ihren vermeynten Revocations-Befugnissen für sich und ihre künftige Descendenten ein für allemahl gänzlich und endlich abgewiesen seyn sollen. In eamdem rem quoque die 1 Sept. 1757 pronuciatum est in causa der Gebrüder von Raben contra dem Grafen von Schmettau. Sententia fuit perita a Facultate juridica Erfurtensi. Rationes sententiae quae partibus sunt communicatae, fundamentum portissimum habent in dicta illa Constitutione. Verba concernentia ita sonant: Da sie nun nach der an ihrer Mutter als legitimam Turricem geschehenen Notification so lange Jahre sich wieder den Kauf nicht moviret, ihr nunmehriges Gesuch iuxta Constitutionem Friedericici keine Statt findet, noch mit der Wiedereinführung in vorigen Stand juxta modo allegatam Constitutionem, et praecuditum (Quod respicit ad casum illum, quem in hoc Spho jam commisit)

commemoravi) zu hören sind, sondern, wenn sie per negligentiam Turoris laediret zu seyn vermeynen, ihren Regress an den Erben zu nehmen haben. Dass nun die Constitutio Friderici vim legis obligativam habe, wird aus denen bewehrtesten Rechtsgeschriften behauptet. Omnia itaque semper redeunt ad quaestione illam praejudicialem, quam Cap. I. ventilavi.

§. XLIV.

Forsan ex praejudiciis in praecedenti §pho adductis receptio hujus constitutionis in Megapoli, ipsique accommodata usualis interpretatio §. VIII. Reuerf. de anno 1572. inferri potest. Sed si etiam alias duo praejudicia ad id sufficerent a), ramen requiritur, ut in rem judicaram transferint b). Quod primum concernit casum, de illo mihi non constat, utrum remedium juris adhibitum fuerit nec ne: sed de posteriori cum certitudine adserere possum, quod adpellatio ad judicium camerae imperialis fuerit interposita, et processus adpellationis impetrati. Ergo adhuc lis sub judice est.

- a) Est notoria controversia inter DD. quot actus requirantur, quam explanare haud hujus proprie est loci, sed me refero ad Du. KEMMERICH in *diff. de probat. consuetudinis et observantiae*.
- b) Conf. BALEKE in *disp. de pacis conjugum successoris* §. XXVI. tit. 6. p. 20.

§. XLV.

Quum per anteriora omnia ad praejudicialem quaestione nem de auctoritate constitutionis Fridericianae redeant, et in Cap. I. negativa defensa sit; haud difficile est colligere, quaenam mihi sedeat opinio de iure minorum, si Tutores retractum, praevia ipsi facta denunciatione, neglexerint? Manet scilicet ius minorum salvum ac inconvulsum, sed anne restitutione in integrum opus habeant, alia quaestio est, quam affirmant RICHTERVS a) et BVRCHARD. GOTH. STRUVIUS b). Ego quidem neque hoc existimo. Restitutionem enim



minoribus ac pupillis tunc demum necessariam esse, si negotium, quod in ipsorum damnum vergit, cum omnibus requiritis ad validitatem necessariis fuerit celebratum, iam supra comprobavi. An vero hoc adseri potest de iure retractus, quod solus tutor neglexit? Minime. Retractus enim feudalis proprius quidem rem immobilem non constituit, sed est res incorporealis, ad rem immobilem petendam, tendens, et ratione immobilis competens c), ac ex iure constat, haberi res incorporeales, si alias eadem est ratio rerum corporalium ac incorporealium, pro immobilibus, quoties eis inhaerent, vel ratione earumdem competant d). Quum itaque omnibus, qui prima principia juris sciunt, notum sit, alienationem immobilis a solo Tutori factam ipso iure nullam esse, ira, ut restituzione non opus sit e); prono omnino alveo sequitur, ut in casu illo, quem hoc Caput concernit, minori ac pupillo nulla opus sit restituzione.

a) in Decif. P. II. Decif. LXXVI. nr. 17.

b) in jurisprudentia feudalii Cap. 13, §. 19. nr. 5.

c) Conf. HEIMBURG in diff. de retractu gentilicio jure in re.

d) BÖHMER in Introd. in Jus Digest. Tit. de rerum divisione §. 13.

e) IDEM d. l. Tit. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt §. 9.

§. XLVI.

Confirmantur ea, quae in antecedenti phio adserui, per L. 4. C. de praediis et aliis rebus minor, in qua haec generalia sunt verba: *Non solum per venditionem rustica prædia vel suburbana pupilli, vel adolescentes alienare prohibentur: sed neque transactionis ratione neque permutacione et multo minus donatione vel alio quoque modo ea transferre sine decreto a dominio suo possint.* Retractum enim gentilium, cui ratione fundamenti consistaneus est feudalis, ex dominio fluere, docet ac comprobatur HEIMBURGIVS a). Transfertur itaque res a dominio suo, si tutor retractum negligit, et quam id, quoquo modo fiat, sine decreto prohibitum sit, pater, restituzione non esse opus.

Idque

3

Idque eo minus dubii habere potest, quum in iure feudali, si a constitutione Fridericana supra ventilata discessero, nullus locus contrarius inveniatur, et in materia Tutelari quoque ratione alienationis bonorum minorennum indubitatum sit, quod, quae in iure feudali haud specialiter constituta reperantur, secundum principia iuris civilis determinanda et decidenda sint b).

a) *in cit. diff.*

b) TORNOW de *feud.* Mecklenb. *Setz.* II. §. XLV. p. m. 247.
ibique alleg. STRYK. et FINCELTH.

CAPVT IV.

DE

CASV RESTITVTIONIS MINORVM CONTRA RETRACTVM A TVTORIBVS NEGLECTVM.

§. XLVII.

In praecedenti Capite §pho XLV. et XLVI. comprobavi, tutorem circa renunciationem iuris retractus omnia illa requisita observare debere, quae ad validitatem alienationis bonorum pupillarum immobilium desiderantur. Ad haec vero referuntur 1) magistratus auctoritas, 2) adhibita causae cognitionis, et 3) decretum magistratus a).

a) BÖHMER in *Introduct.* in *Jur. Dig. Tit. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt* §. 2. et seq.

§. XLVIII.

Exsurgit quaestio, utrum praecise cancellariae feudalis auctoritas requiratur, an quoque id in aliis Dicasteriis fieri queat? Quum haec interponenda auctoritas praeviam causae cognitionem desideret, sive ad iurisdictionem voluntariam mixtam referenda sit, et haec magistratus comperentiam re-

E 3

quirat



quirat a); fluit exinde, ratione retractus feudalis, quum cau-
fae feudales ad curiam feudalem pertineant b), praeceps in
cancellaria feudalii Principis quia domini directi auctoritatem
adhibendam esse. Interim haud difficile est intellectu, prae-
cedentem assertionem tantum procedere iis in locis, in quibus
singularis cancellaria feudalis adest, in eaque tutores con-
stituntur.

a) DEINLIN in *diss. de distinctione Iurisdictionis in voluntariam et contentum*.

b) KAYSER de *causis feudalibus*.

§. XLIX.

Sed constat, in Megapoli causas feudales contentiose iur-
isdictionis, exceptis nonnullis, ad cancellarias iustitiae esse re-
latas a). Hinc, quum exceptio in casu non excepto regulam
firmer, & hic casus expressis verbis inter exceptos primo in-
tuitu haud reprehendatur, adserendum esse, videtur, sufficere
cancellariae iustitiae auctoritatem, praecepue, quum tutores
eriam ratione bonorum feudalium in Megapoli, teste quoti-
diana praxi, ibi constituantur ac confirmantur. Congruit
quoque hoc ei, quod, teste experientia, quaestiones, an feu-
dum minoris alienandum sit nec ne, in dicasteriis iustitiae dis-
quirantur, ad quod comprobandum allegare sufficiet alienatio-
nem praedii Toltzien cum pertinentiis, quippe quae alienatio
in cancellaria Suerinensi ventilata est. Interim, licet haec sepe
ita in praxi haec tenus, quantum scio, habeant; tamen pro
contraria sententia, quod in cancellaria feudalii fieri debeat,
id haud parum militat, quod iuxta clara verba dictae Trans-
actionis Megapolitanae §. 463, nr. 5, privativa iurisdictionis can-
cellariae feudalis in *causis revocationis feudi* fundata, &erraetus
feudalis certo respectu quoque revocatio adpellanda sit §. II.
& per consequens post illam Transactionem aliud hac de quaes-
itione dicendum esse videatur.

a) Des

a) Des Landes Grundgesetzlicher Erb = Vergleich §. 463.
 MÖLLER in *Uf. pract. dist. feud. Cap. XXV. Dist. I. p. 539.*
tibique alleg. resolut. provinc. ad Gravam. judicial. 5. Add. Re.
solutiones Caesareae in caus. Mecklenb. d. d. 19. Oct. 1724. §. 2.
C d. d. 13 Dec. 1740.

§. L.

Magistratus vero auctoritas sine causae cognitione interposita nullum producit effectum a). Accedere itaque debet causae cognitio. Novissimum proiectum juris feudalis de anno 1757 non quidem ad hoc usque tempus auctoritatem legalem habet, sed ad illustrationem illud adducere, uti spero, erit licitum ac non alienum. In illo verba ita sonant. Wären die nächsten Vetttern unmündig oder minderjährig, sollen derselben bestellte Wormündere darüber urtheilen, ob es ihren pupillen zuträglicher sey, zu consentiren, oder für dieselben zu kauffen, und wenn sie es gerathen finden, lieber in den Verkauf zu consentiren; so sollen sie ihre Gründe einbringen, und bey Unserer Lehn-Cammer Consens suchen; da Wir denn nach Besinden denselben nicht verlagen wollen. Quoad passum instituendae causae cognitionis itaque principiis meis antea deductis illud proiectum plenissime consentaneum est.

a) *L. 5. §. 9. ff. de reb. eorum, qui sub tut. vel cur. ME VIVS
 P. V. Decis. 34.*

§. LI.

Ast, circa quanam capita isthaec causae cognitione versari debet? Omnia ad haec redeunt, ut 1) inquiratur, an pupillo facultates supperant ad emendum? & 2) si non plene sufficiunt, an consultius sit, aes alienum contrahere, quam retractum omittire? 3) utrum, si pecunia aliena emendum est, praedium ira comparatum sit, ut, facta locatione, non solum com mode usurae solvi queant, sed quoque haud modicus excessus adsit? 4) anne, si in praesentiarum facultates pupilli plane deficiunt, pacto quodam adiecto spes rem recuperandi conservari queat? a)

a) *Conf.*



- a) *Conf. SCHAVMBVRG in Comp. Dig. Tit. de reb. eorum, qui sub tut. §. 4. L. fin. C. de praediis minorum. L. 22. C. de administratione Tutorum.* CARPZOV. P. II. Conf. II. Def. 28. nr. 13.

§. LII.

Si hisce denique accedit decretum, omnia requisita adfunt, quae validitatem negotio conciliant. Sed nihilominus in casu laefionis pupillo restitutioñem adhuc salvam manere, indubitatum est a). Notanter dixi: in casu laefionis, siquidem ad obtinendam hanc restitucionem necessarium est, ut adsit laefio b), & haec probetur c). Quae laefio non ex tempore petitae restitucionis, sed factae venditionis aestimanda d), eiusque probatio ex momentis \$pho antecedenti commemoratis sumenda ac peragenda est.

- a) BOEHMER d. L. §. 8.
- b) L. 24. §. I. de Minor. L. 12. §. I. de Admin. Tur.
- c) L. 9. in fine de Minor. L. 1. C. si adverſ. vendit. L. 5. C. de reſlit. in int. L. 27. §. I. de Minor.
- d) vid. HILLIGER ad Donell. Lib. 21. Cap. 9. Lit. a,

§. LIII.

Suboritur quaestio, anne minori, antequam ad beneficium restitucionis in integrum admittatur, incumbar, per viam ordinariam interesse a Tutoribus petere? Sunt, qui id defendunt a); sed contrarium docent clara verba L. 3. C. si tutor vel curator interu. b), & illi quoque, qui contrariae adſtipulantur sententiae, exceptionem tamen faciunt, si pupilli interficit, potius rem ipsam quam interesse habere, quae exceptio optimo omnino iure in casu omissi retractus adplicanda est, siquidem hic sermo est de praediis familiae, quae ex illa exierunt.

- a) BRVNNEMANN ad L. 13. §. ult. C. dt Iudic. nr. 66. seqq.
BERGER in Eleſt. Discept. jur. lit. 20. Obj. 3.
- b) De HEDEMANN in diff. de restituzione minorum §. 39. De LEYSER spec. 60. Med. I.

§. LIV.

§. LIV.

Restitutionem minorum maiori non prodeesse, nisi in causa plane individua, dubio caret a). An igitur quaestio retractus ad hanc exceptionem referri potest? Defenditur communiter adfirmativa b). Sed respectu illius; contra quem retractus intenditur, quaestione illam dominianam esse iudico, quia sufficit, quod minorenis ille retractum exercere queat, licet reliqui fratres maiores istud ius vel propter renunciationem expressam vel praescriptionem exercere amplius nequeant, siveque ipsi perinde esse potest, utrum beneficium restitutionis maioribus profit nec ne? Quid si vero minor fuerit mortuus, et maioribus ex propria persona exceptio praescriptionis obster, an tunc maiorennes ex persona defuncti fratris minoris adhuc beneficium restitutionis impetrare possunt? Quum privilegium restitutionis in integrum sit mixtum, siveque ad heredes transeat c); nullus dubito id adfirmare. Ex his omnibus patet, quaectionem illam de individualitate causae intuitu illius, contra quem retractus exercetur, esse nullius ponderis.

a) *L. un. C. de Minor. L. 47. S. I. de Min. L. un. C. si in communi eademque causa in integr. rest. post. COCCEJVS in Jur. Controv. Lib. IV. Tit. IV. Quaest. II.*

b) *RICHTER in Decif. P. II. Decif. L XXVI. nr. 166. CONSILIA GRYPHICA Resp. XX. nr. 13. MAVRIT, de Restit. in integ. 185. 190. LYNCKER in diff. de individualitate Cap. V. Sect. II. nr. 26. et seqq.*

c) *BOEHMER in Introd. in jus Dig. Tit. de Constat. princ. §. 7., et Tit. de Minoribus §. II. HERTIVS de transf. privil. personal, ad alios §. 4. seqq.*

F

§. LV.



§ LV.

Possent adhuc plura addi demodis, quibus restitutio haec tollitur. Sed quum ea, quae huc spectant, circa feuda nihil singularis contineant, siveque a scriptoribus de restituione in integrum iam explanata sint, illa praeterundo subsisto, et id unicum tantum addo, quod secundum principia iurisprudentiae legislatoriae omnino statuam, constitutionem illam Friderici esse recipiendam, qua de causa etiam in *Jure Rostochiensi* P. III. Tit. VII. Art. III. legitur: Ist dem Vorwunde in dem Falle, wann denen Pupillen ein ius protimieos conventionale oder testamentarium zustehet, die gebuhrliche Anzeige geschehen, und er hat sich zur Ausübung des Nähr-Rechts nicht erklähret, so mögen die Pflegbefohlene nachhin kein beneficium restitutionis in integrum dagegen haben.

SOLI DEO GLORIA.



PRAE-

PRAENOBLISSIME
ATQVE DOCTISSIME DOMINE
DOCTOR ANDE,

FAVTOR ATQVE AMICE
SVAVISSIME.

Promouetur propria solertia, virtute, et eruditione,
celebitas nominis, et generis, ac honor ex hac
redundans magis magisque crescit, et non nobilium so-
lummodo intuitu, sed de imaginibus maiorum in genere
valet prouerbium, daß der Adel, Ruhm, und Ansehen

derer Vorfahren eine Null, so aber, wenn die Zahl eigner Geschicklichkeiten, und Tugenden hinzukommt, die Summe der Ehre um ein grosses vermehret. Optima cum ratione haecce prouerbii veritas ad TVAM personam inuenit applicationem, DOCTISSIME ATQUE HONORATISSIME DOMINE DOCTOR ANDE! Inter maiores TVOS, atque agnatos numeras viros, studiis et litteris generosos, de republica et in ciuibus, et ecclesiasticis, et litterariis negotiis optime promeritos, atque celebres, omnique doctrina et virtute spectabilissimos atque venerandos. Quem enim nostratum fugit memoria beate iam defuncti domini aui Tui, viri maxime reuerendi, ad ecclesiam Iornstorffensem in nostra prouincia parochi fidelissimi, atque de ecclesia tam, quam republica litteraria, quousque

que

que infer viuos erat, meritissimi, cuius cineres omnibus cordatis adhuc merito sancti sunt, et manent, cuiusque recordationem et gloriam innumera eius merita ab obliuione vindicant. *Iungo huic generosum ac illustrem et inclutum Dominum Tuum patrem, consulem primum nostrae ciuitatis praeclare promeritum, qui maximo honore apud nos celebratur, maximis meritis inter ciues nostros valet, quemque ipse fautorem meum, ac maecenatem colo, quemque ad seros usque annos summum, quod omnia regit numen, in commodum ac salutem patriae seruare velit sospitem atque incolumem.*
Nec non hic memorandus manet, celebratissimus Dominus Patrius Tuus Serenissimo nostro Principi a consiliis et ecclesiae et iustitiae, antecessor nostrae academie famigeratissimus, pandectarum Professor publicus

F 3

ordinar.

ordinar, celeberrimus, totius academiae et facultatis Senior
venerandus fautor atque collega meus longe honora
tissimus. *Nomina celebratissima tantorum virorum*
SPLENDIDISSIMAE TVAE FAMILIAE
imagines decorant, TEQUE dignum agnoscunt eius-
modi maiorum descendenter, atque agnatum. Dignum
TE inquam agnoscunt, qui indefesso studio, debitaque
solertia profectus TIBI comparasti in litteris omni
honore, ac celebri fama stipatos, et cum haut fucata,
sed strenua virtute, et morum cultura coniunctos.
Testantur de hac TVA eruditione auditoria nostrae
musarum sedis et publica, et priuata. Testantur de
ea promptissimae et solidissimae responsiones in examine.
Testatur atque corroborat illam solidam, et doctam elabo-
ratio huius TVI speciminis inauguralis, circa quod
nihil

nihil mihi tribuo praeter honorem, quod sub meo quali
quali praefidio sit ventilandum. Immo magis adhuc
istam corroborabit strenua ac docta TVA defensio
in cathedra publica. Agedum! D O C T I S S I M E

D O M I N E M A N T Z E L, et exspecta honores,

quales talis coronata virtus, ex splendido genere nata,
proprioque marte magis magisque exculta, meretur.

Gratulor nostrae ciuitati, SPLENDIDISSIMAE

TVAE FAMILIAE, ac GENEROSO et ILLV-

STRI DOMINO TVO PARENTI, ciuem orna-

tissimum, membrum dignissimum, cuius nomen coete-
ris celebratissimis adscriberetur, filium bene promeri-

tum optimae indolis ac spei. Mihique autem gratu-
lor dignissimum candidatum, quem in cancellos de-

ducere disputatorios honori miki iudico. Seruet at-

que

que conseruet TE deus semper felicem atque incolu-
mem. Benedicat inceptis TVIS, et exoptato exitu
beet. Meque autem, ut fauori TVO commendatum
habeas, peto, qui semper ero ad quaelibet officio-
rum genera


Scrib. Rostoch. d. II. Aug.

MDCCLX.

PROMTISSIMVS PRAESES,

HERM. BECKER Dr.

Rostock, diss., 1759-76
X 228 42 89



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-220068-p0052-0

DFG



F. 9. num. 32.
7602.
9

DISERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
IVRE MINORVM CIRCA
RETRACTVM FEVDALEM A
TVTORE NEGLECTVM,

QVAM,
AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS
CONSENSV,
PRAESIDE,
DN. HERMANNO BECKER,
IVR. DOCT. ET INSTITVT. PROF. P. O. FACVLT. IVRID.
HOD. DECANO,
SPECTABILISSIMO;
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE OBTINENDIS
HONORIBVS,
IN ACADEMIA PATRIA,
ANNO MDCLX. DIE V. AVGVST.
H. L. Q. C.
DEFENDET,
CHRISTIAN VALENT. MANTZEL,
ROSTOCHIENSIS,
L. L. CAND.

ROSTOCHII,
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SEREN. DVCIS AVL, ET ACAD.
TYPOGRAPHI.

